



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Dachatius M. 15. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

784 VITÆ SANCTORUM. 15. Det.
non abnuere, quin mortis etiam esset. I-
ta latus *Eutropia* stipante, obviām hosti
ad D. *Virginis* progreditur, & humili-
xus dum versum Davidis canere incipit,
caput gladio amittit, carmen tamen et-
jam mortuus absolvit. Satis spectatum
esse soror putavit. Quare cùm formæ mi-
les parceret, execrata crudelem miseri-
cordiam in oculos carnificis involat,
mortemque invitam in se armat. Interē
contra barbaros cælum movit, cuius co-
piæ visæ, simul iratæ è templo voces in-
fugam illos congecerunt. Ad Martyrum
verò corpora tam diu lucere faces suas fi-
dera voluerunt, dum terrâ tegerentur,
splendore olim his ipsis certatura. Ex SW.

Carnem affixisse, libidinem superasse,
avaritiæ restitisse, de mundo triumphasse,
pars magna martyrii est. Ergo si tormenta
Martyrum perferre non possumus, vel con-
tra malas concupiscentias repugnemus.
S. Aug. serm. 4. de Mart.

S. DACHATIUS M. 15. Decembris.

DACHATIUS Palæstinus sex fratres
germanos fertur numerasse, ipse sep-
timus, imò inter omnes primus meritò
laudatur. Nam cùm pater exigui lucelli
spe, quam Rex Saracenis ostentabat,
inductus, à Christo ad Mahometis par-
tes malum pedem tulisset, repressit suum

Da.

15. Dec. VITÆ SANCTORUM 785

Dachatius, recte sic à parente degener. Post ubi mortem infelicem sed debitam sceleri tanto pater oppetiit, Dei ductu & matris optimæ, Ierosolymas abiit, tinctusque Christianis undis in D. Sabæ cœnobio, ingentibus, quæ postea edit, præliis egregius fui viator prælufit. Tum denique & cæli ope & suâ virtute satis armatus in patriam excurrit, & cum matri copias junxisset, post multas pugnas fratres omnes dare manus victas Christo coëgit. Unum tantum excipe, qui fide non germanâ, sed Punicâ sanè, Dachatii nomen ad Prætorem detulit. Hic vinclum ad Tribunum misit. Sed neque fratribus perfidia, neque carnificum tormenta tantum potuerunt, ut non vinceret Dachatius. Viator igitur caput gladio submisit tot civicis coronis condecorandum, quot patriæ cælesti cives fratres servavit. Ex Menais.

Nihil est quod animæ possit æquiparari, ne universus quidem mundus. Itaque si immensas pecunias pauperebus eroges, plus tamen effeceris, si unam converteris animam. S. Ioan. Chrysost. super Psalm.

48.

Ddd

S. CHRI-